

gua, quarto loco à terra eleuatur. *Terræ autem Elementum*, cum sit spissum, tenebricosum ac densum, & impuritate sua velut fæx atq; sentina cæterorum, subsidere, ac imum obtinere locum jussum est. Adstruit hoc elegans Hippocratis sentētia in libro de *Principiis* ita loquentis: *Plurima illius immortalis pars (quod calidum vocamus) cum omnia essent conturbata, ad supremam illam regionem recessit, quam veteres Æthera videntur nominare.* Et Trismegistus in Sermone Sacro: *Cum omnia essent indigesta, res omnes distingui & librari cæperunt, leuiaque Igneo Spiritu vehebantur, & in excelsum regionem provolabant, & immediatè emicuit cælum septem Circulis.* Quo pacto, & quam accurate verus Chymicus hanc Magnæ Matris, Naturæ inquam, vetustissimam atque primam dispositionem æmuletur, notius est, quam vt à nobis doceri debeat prolixius. Ethæc quidem in *Macrocosmo* ipsa rerum primordia nobis commonstrauere. Sed quid in *Microcosmo?* Zoroastrum, Philosophorum antiquissimum, cuius tempora ad Nini usq; ætatem referunt Chronicarum rerum periti, contemplatum admirandam hominis fabricam, lymphatico similem præ admiratione exclamasse perhibent:

Ω τολημηροτάτης φύσεως ἀνθρώπη τέχνασμα!

Non